DE OPINATA DONATIONVM OB SVPERVENIENTES LIBEROS REVOCATIONE

CONSENSV ATQVE AVCTORITATE ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS CONSEQVENDIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PVBLICE DISPVTABIT

IO. GEORGIVS SCHELHORNIVS.

A. D. VII. IANVA. A. R. S. MDCCXLVII.

GOTTINGAE
PRELO IO. FRIDERICI HAGERI.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRIS
GENEROSIS. ILLVSTRIBVS. AMPLISSIMIS
INCLVTAE. REIPVBLICAE. MEMMINGENSIS
CONSVLIBVS
PRAETORI
A. SECRETIORIBVS
SYNDICO
SENATORIBVS
CONSILIARIO
ET
PVBLICARVM. TABVLARVM
PRAEFECTO
DOMINIS. SVIS
AC. PATRONIS. INDVLGENTISSIMIS
MAXIMOQVE. HONORIS. CVLTV
DEVENERANDIS

Digitized by Google

DISSERTATIONEM. HANC
INAVGVRALEM
INTER. CANDIDISSIMA. VOTA
PRO. PERENNI
ILLORVM. INCOLVMITATE
QVA. PATRIAE. SALVS. CENSETVR
SVB. NOVI. ANNI. INITIA
SVSCEPTA
VTINAM. SERO. SOLVENDA
SVMMAE. PIETATIS. CAVSÁ

D. D. D

IO. GEORGIVS. SCHELHORNIVS
MEMMINGENSIS

Digitized by Google

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE
OPINATA DONATIONVM OB LIBEROS SVPERVENIENTES REVOCATIONE.

I.

PROOEMIVM. DONATIONIS INTER VIVOS DEFINITIO.

Poſtulare videtur inſtituti noſtri ratio, vt, antequam ad ipſam rei tractationem, quam praecipue in praeſens excutiendam nobis ſumſimus, accedamus, prodromi inſtar de donationum, quae nempe inter viuos ineuntur, nam de altera ſpecie, quae mortis cauſa fit, nullus iam dicendi locus, natura

Digitized by Google

indoleque pauca, quantum eius per temporis anguſtias, quibus circumſcripti ſumus, licebit, praemittamus. Vt ab ipſa igitur rei declaratione exordium ducam, cui ſolennis etiam & conſtans fere differentium mos auctoritatem conciliat, nihil obſtare mihi videtur, quo minus commode huius generis donationem per *pactum legitimum, quo quid in alterum ex liberalitate, nullo iure cogente,* (*a*) *confertur*, definiamus.

II.
DONATIONVM INDOLES SECVNDVM IVS IVSTINIANEVM.

Iure enim recentiori, ab IVSTINIANO Imp. in melius an dicam peius? ſed vtrumque certo reſpectu locum habere puto, reformato, ex donatione nudo pacto facta firmiſſimam contrahi obligationem, & praeter nudam voluntatis declarationem, praeter mutuum conſenſum, nihil amplius ad donationis efficaciam deſiderari, ex illius conſtitutione (*b*) intelligi

(*a*) Ineſt in hoc praecipuus donationis character, per quem etiam remuneratoria donatio hoc nomen tuetur, licet ab liberalitate abeſſe poſſit.

(*b*) Praefert quidem IVSTINI Imp. nomen, in tantum tamen ipſi

ligi poteſt, quae extat *l. 35. C. §. 5. de Donat.* quamque repetiit Imperator *§. 2. I. h. t.* & *Novell. 162. c. 1.* vt adeo rei traditio dominii in alterum transferendi cauſa accedere quidem debeat, (*c*) nullum vero ad obligationem vel producendam vel perficiendam in ea momentum poſitum ſit.

III.

ipſi Imperatori noſtro tribui poteſt, in quantum omnium ſe rerum auctorem dixit, quas in Codicem retulit ſuum, *l. 1. §. 6. C. de Vet. Iur. Enucl.*

(*c*) Nam ſine traditione rei donatae dominium transferri in donatarium, vti evincere conatus eſt MARCILIVS, inter eruditiſſimos alias & vberrimos ad *Inſtituta* commentatores merito ſuo referendus, ad *pr. I. de Donat.*, tanto minus admitti poſſe puto, quo certius eſt, nudis pactis dominia nec mutari nec transferri per *l. 48. D. de Pact.* & *l. 20. C. eod.* Neque mente equidem comprehendere poſſum, quo praeſidio ſingularem hanc ſententiam tueantur *§. 2. I. de Don.* & *l. antepenult. C. eod.* ad quae loca prouocat MARCILIVS. Ex vtroque enim loco, niſi veluti vim illis inferre velis, illud tantum elici poſſe mihi videtur, donantem, etiamſi traditio non ſtatim acceſſerit, firmiſſimo tamen vinculo adſtringi, & invitum ad traditionem, cuius illi neceſſitatem impoſuit IVSTINIANVS, compelli poſſe. His accedit, quod *§. 40. I. de Rer. Diuis.* magis firmare ſententiam noſtram, quam quidem labefactare videatur.

Digitized by Google

III.

DIVERSITAS IVRIS NOVIORIS AB ANTIQVO. GEBAVERI ELOGIVM.

Ineſt in hoc inſignis recentioris ab antiquo illo Quiritium iure differentia. Vti enim per hoc nuda pacta in univerſum obligatione civili carebant; ita nudae quoque donationis, cum nullum συναλλαγμα contineat, in quo ponitur contractuum indoles, (*a*) nullus alius effectus erat, quam quem nuda neque illo iuris ciuilis vinculo munita pacta proferre ſolebant, hoc eſt nulla exinde actio in foro naſcebatur. Hinc donatio vel ex ſtipulatione adiecta, quae nempe actionem ex ſtipulatu producebat, vel ex ceſſione in iure, vel ex rei demum traditione, vel ex interpoſita in rebus mancipi ab latae inde Legis Cinciae temporibus, ima-

(*a*) *V. l. 7. §. 2. D. de Pact.* In quo tamen parum a contractibus abſit donatio, & in quantum ob hoc a legibus illis annumeretur, quod tamen rarius fit, poſt MARCILIVM ad *Inſt.* optime expoſuit VLR. HVBERVS in *Praelect. ad Inſt. de Donat. pr.* cuius rationibus addere forte adhuc poteris, in hoc quoque accedere ad contractuum naturam donationes, quod hae pari cum illis ratione, mutua nimirum voluntate perficiantur, cum ſolius donantis voluntas, per acceptationem ab altero non approbata, nullam obligationem proferat. *l. 10. & 26. D. de Donat.* nam de iure etiam

Digitized by Google

imaginaria illa interveniente numo vno ſeſtertio venditione, id eſt ſolenni mancipatione, qua de iure Quiritium transferretur in accipientem rei dominium, ſic igitur omnem demum vim ſuam donatio nanciſcebatur; vno autem horum alteroue neglecto, libere retractari, vel nulla potius donatio absque traditione intelligi cogitarique poterat. Tetigiſſe hoc diſcrimen leviterque perſtrinxiſſe pro inſtituti mei ratione ſufficiat; cum abſtinendum breuitatis ſtudio a pleniori illius diſquiſitione nobis ſit, licet non ſine liberaliſſimae cuiusdam voluptatis ſenſu per illum in has Iurisprudentiae amoenitates, inque haec veluti delinimenta illius, quod habet ars noſtra aliquantum aſperi atque difficilis, amorem, quo nos imbuit Vir Illuſtris & omni praeconio meo longe ſuperior GEORGIVS CHRISTIANVS GEBAVERVS, a cuius dulciſſimo ore, fonte illo omnis doctrinae perenni atque inexhauſto,

etiam Iuſtinianeo acceptationem intervenire debere, egregie oſtendit contra ANTO. FABRVM B. GVNDLINGIVS *in Gundling. P. XXIX. obſ.* 4. *§. 15.* cui aſſentitur LEYSER. *in Meditat. ad π. ſpecim. 433. n. 8.* Iungi GVNDLINGIO poteſt SCHILTER. *in Exercit. ad π. de Donat.* & WERNHER. in peculiari *Diſſ. de acceptatione in donat. neceſſaria.*

Digitized by Google

hauſto, pependiſſe, pependi autem a quatuor inde fere annis, in maxima ſemper felicitatis meae parte reponam, licet igitur non ſine voluptate huiusmodi argumentis immorari alias ſoleamus. (b)

IIII.

DONATIONVM REVOCATIO. ILLIVS CAVSAS DVPLICIS GENERIS ESSE INDICATVR.

Ex his itaque quae in medium a me promta iam ſunt, lucidiſſime apparet, hanc eſſe donationum inter viuos indolem, vt rite illis ſemel perfectis ſimpliciter ſtandum ſit, neque ullus amplius poenitentiae locus relinquatur, omni temere revocandi licentia prorſus ademta. De regula loquimur. Vti enim in vniuerſum pauca occurrunt in iure noſtro, quae regulis adeo certis, adeo omni ex parte firmis includi poſſunt, vt nulli mutationi obnoxia vim illa ſuam perpetuo demonſtrare dicere

(b) Facile ideo quoque ſuperſedere opera hac poſſum, cum otium mihi faciat egregia Duumuirorum praeſtantiſſimorum diligentia, quos ciues ſuos iactent fuiſſe Lipſia alterum, alterum Florentia, dum erunt literae, nempe IOSE. AVERANII *Interpret. Iur. I, 29.* & FRIDER. BRVMMERI *in Comm. ad Legem Cinciam c. 13.* qui quae dici hac de re poſſunt, ea omnia ita praeceperunt, vt nihil alienae induſtriae reliquiſſe videantur.

Digitized by Google

cere poſſis; ita hoc idem huic argumento vſu venire obſervamus. Donationis enim certis de cauſis reuocationem indulgent partim leges, partim doctores, qui quidem, ſi bene ſe res haberet, opponi illis temere non deberent, ad leges quidem illi quoque provocantes, ſed ex quibus nihil huiusmodi cum aliqua veri ſpecie colligi poſſe, hac ipſa qualicunque diſſertatione noſtra oſtendere ita conabimur, vt ſi non eruditionis laudem auferre nobis contingat, ad quam ne adſpirare quidem in mentem nobis per tenuitatis noſtrae conſcientiam venit, illud certe conſequamur ſatis amplum induſtriae praemium, vt de noſtro veritatis amore & de enixo noſtris, non alienis oculis quantum licet videndi, ſtudio conſtet.

V.

REVOCANDARVM DONATIONVM PRAECIPVAE CAVSAE RECENSENTVR.

Prioris generis reuocandi cauſis, quas legitimas dicere hoc nomine poſſumus, potiſſimum annumero primum inofficioſas parentum donationes, deinde inſignem eius in quem liberalitas collata eſt, ingratitudinem. Ad alterum genus referre interim ex fiducia, quam de cauſae noſtrae bonitate concepimus, liceat agnationem,

nem,

Digitized by Google

nem, ſiue vt dictione ſemel inter interpretes recepta, & ob id facile mihi condonanda ab his qui aures teretes habent atque rotundas, vtar, ſuperuenientiam liberorum.

VI.

ORDO DISPVTATIONIS.

In hoc, quod ſibi fingunt Doctores, reuocandae donationis genere praecipue quidem verſabitur praeſens opera mea. interim non puto, niſi ſuſcepti me amor negotii fallit, mihi quemquam vitio vehementer verſurum eſſe, ſi de nominatis iam veris atque legitimis cauſis, ex quibus retractari donatio poteſt, pauca praemoneam.

VII.

QVID SIT INOFFICIOSA DONATIO? IN QVANTVM REVOCETVR?

De inofficioſis donationibus primum videamus. Eo magis adducor ad qualemcunque operam meam huic quoque rei impendendam, cum non affinitate ſolum quadam noſtrum argumentum attingat, ſed & nondum ita in clara luce poſita mihi videatur, vt non hinc inde occurrant, in quibus haereant forte adhuc aliquantum, qui rationibus non conuicti aſſenſum ſuſtinere

Digitized by Google

nere ſolent. Eſt autem inofficioſa donatio, per quam legitima liberis vel in totum, vel ex parte aufertur; ad quam adeo recuperandam introducta eſt *Querela Inofficioſae Donationis. l. vlt. C. de Inoff. Don.* Vtrum vero per hanc tota donatio reſcindatur, an pro ratione tantum legitimae, de hoc vehementer inter ſe disceptant Doctores, & contrariis diſputationibus ſuis, quod non raro mihi quidem vſu venire ſolet, magis incertos nos dimittunt, quam quidem ad illos acceſſimus, quin magnas ipſi rei difficultates obiiciunt. Mihi, ſepoſitis Doctorum libris, ipſas leges, quae proditae hac de re ſunt, tanquam vnicum fontem, ex quo hauriendum eſt, attente conſideranti; res omnis huc potiſſimum redire videtur. Pater, vel quemcunque alium leges ad legitimam relinquendam obligant, opes ſuas donationibus exhaurit, aut in liberorum ſuorum quosdam, aut in extraneos intempeſtiue collatis. Prioris generis donationem non in totum, ſed pro ratione quartae tantum reuocari atque diminui poſſe, certisſimum eſt tum per *l.* 7. *C. de Inoff. Don.* vbi habetur, illud tantum reuocari, quod *immoderate* geſtum eſt, tum maxime per *l. 8. C. eod.* De poſteriori ſpecie in tantum intelligi debere *l. 5. C. h. t.* puto, in quantum filii emancipati pro extraneis haberi poſ-

 ſunt.

ſunt. Si quid autem video, hac etiam de lege idem plane dicendum eſt, qua quippe nihil aliud cauetur, quam tantum de intempeſtiuis eiusmodi donationibus detrahi poſſe, quantum *ad ſubmouendam inofficioſi teſtamenti querelam non ingratis liberis relinqui neceſſe eſt*, id eſt quantum ad legitimam liberis ſaluam integramque ſeruandam deſideratur. Si quis vero mihi obiiciat, veteris illius atque rigidae quoad filios emancipatos rationis pauca IVSTINIANI tempore veſtigia ſuperfuiſſe; neſcio tamen quid ſit, quare hac ſpecie legibus nihil certi, in quo acquieſcere tuti poſſemus, definientibus, integram donationem reſcindi poſſe, pronunciemus. Illud certe in dubitationem neminem adducturum puto, donationem in tantum ſolum inofficioſam & eſſe, & dici poſſe, in quantum facta contra pietatis officium, hoc eſt in quantum liberorum legitimam imminuit. Reuocari autem in tantum, in quantum inofficioſa eſt, puto ipſum nomen querelae inofficioſae donationis indicare. (*a*) VIII.

(*a*) Sed nouum feliciori forte ſucceſſu periculum faciamus, an non ex ipſis legibus noſtrae ſententiae auctoritatem conciliare poſſimus. Et puto equidem, non iniuſta illam collectione ex *l. 1. C. h. t.* ſic deduci poſſe. Extra controuerſiam poſitum eſt, de donationibus in ſuos immodice factis tantum detrahi, quantum legitima poſtulat. Iam vero in laudata

VIII.

SENTENTIAE NOSTRAE CONFIRMATIO. DISSENTIENTIVM PRAECIPVVM ARGVMENTVM EXPLORATVR.

Eo facilius ad ampleɛtendam hanc ſententiam permoueor, quo magis a rationibus artis noſtrae abhorret, quod valido pacto ſemel translatum, illud temere reuocari. Neque de hac me dimouere ſententia poſſunt illae loquendi rationes, (*a*) querelam hanc *ad ſimilitudinem, ad formam, ad exemplum, ad inſtar querelae inofficioſi teſtamenti*, dari, per quam, reſciſſo teſtamento, non legitimae portionis, ſed totius hereditatis

laudata & in partes noſtras vocata *l. 1.* ita coniunguntur ſui atque extranei, adeo nullum inter illos diſcrimen adhibetur, vt vnde inſignis illa quoad reuocationem inter donationes quae in vnum alterumue ex liberis & eas inter, quae in extraneum collatae ſunt; differentia probari aliquo modo poſſit, plane non videam. Ipſa legis verba, in quantum ad me pertinent, huc referre non poenitet. ſunt autem haec: *ſi mater veſtra pene vniuerſas facultates ſuas factis donationibus ſiue in quosdam liberos, ſiue in extraneos, exhauſit, non iniuria iuxta formam de inofficioſo teſtamento conſtitutam, ſubueniri vobis vtpote quartam partem non habentibus, deſideratis.*

(*a*) Occurrunt illae in *l. 2. l. 1. l. 4.* itemque *8. C. de Inoff. Donat.*

tatis reſtitutionem peti, ſcimus; quod argumentum a quibusdam, maxime vero ab ill. BOEHMERO, (*b*) a cuius ſententia non niſi timide, ſed ſeruato pudore atque obſeruantia, quae ſummis optimi ſenis in vtramque Iurisprudentiam meritis & admirandae illius doctrinae debetur, diſcedo, ita vrgeri animaduerto, vt magna ideo difficultate ſententiam noſtram premi putent. Nam primum illud me ſollicitat, totam hanc rationem nimis incertam eſſe & coniecturalem & vagam, atque legislatoriae non nihil poteſtatis habere. Deinde neſcio, quid elici magis ex his formulis poſſit, quam querelam inofficioſi teſtamenti alteri illi recipiendae occaſionem ſubminiſtraſſe, & hanc ad illius ſimilitudinem, in quantum nempe liberis competit a legitima excluſis, introductam eſſe. Ipſa *l. vlt. C. h. t.* hoc declarare, & quid ſibi velint iſtae loquendi formulae, exponere mihi videtur, cum ait: *non dubitari poſſe, hanc querelam ad ſimilitudinem inofficioſi teſtamenti introductam eſſe, vt ſit in hoc actionis vtriusque vel vna cauſa vel ſimilis* (nempe excluſio a legitima,) *exiſtimanda.* Quibus illud adhuc non minimi momenti accedit, vnam harum dictionum in illa etiam lege occurrere, nempe *7. C. h. t.* qua verbis nulla

(*b*) *de Actionib. Sect. II. cap. 3. §. 43.*

Digitized by Google

nulla obſcuritate, nullis tenebris inuolutis cauetur, *quod donatum eſt, pro ratione quartae ad inſtar inoff. teſtam. conuicti, diminui.* Haec ſi quis in vnum colligat, illum non me admodum repreheñſurum puto, quod hanc argumentandi rationem tanquam nimis lubricam atque fallacem recipere non audeam.

VIIII.

AN DISCRIMEN ADMITTI POSSIT INTER DONATIONES FRAVDVLENTAS ET FACTAS CONSILIO NON IMPROBO ATTAMEN INOFFICIOSE?

Diſcrimen vero illud inter donationes fraudulenter a parentibus, & conſilio non improbo factas, quod inter Doctores non nulli ita vrgent, vt illo caſu totam reſcindi donationem, hoc legitimae tantum rationem haberi poſſe, putent, diſcrimen igitur hoc meis quidem oculis in legibus videre non poſſum. (*a*) Aut enim

(*a*) Neque meorum ſolius oculorum obtutum illud effugere, exemplum docet virorum perſpicacis ingenii, VOETII *ad ϖ. de Donat. n. 37.* BEIERI *in Poſition. ad ϖ. eod. p. 14.* itemque WERNHERI *in Select. Obſervat. Forens. P. IIII. obſ. 190. p. 505.*

enim vehementer fallor, aut illa legum verba: (*b*) *ad ſubmouendam*, item *ad excludendam inoffic. teſtam. querelam*, ad quae prouocant huius cauſae patroni, & ex quibus neceſſariam patris, liberos legitima callide defraudandi intentionem colligunt, nihil aliud ſignificare atque inuoluere contextus ſermoniſque ratio demonſtrat, quam ex factis immodicis donationibus illud repeti, quod relinquendum liberis teſtamento eſſet, niſi hi ad inofficioſi teſtamenti querelam defuncto patre confugere coactos ſe videant. Non efficit certe maligna atque inuida parentum mens in donationibus in fauorem vnius ex liberis, reliquorum vero odium immoderate factis, vt quid amplius praeter legitimam a caeteris liberis ex rebus donatis repeti poſſit. (*c*) Cur itaque aliter rem ſe habere, ſi in extraneum callide liberalitas a parente collata, legibus nihil determinantibus, affirmemus?

X.

DONATIONVM REVOCATIO PROPTER INGRATITVDINEM DONATARII.

Per has tandem difficultates eluctati, quas obiecit nobis iuris interpretum diſſenſus, & in quibus pro inge-

(*b*) *V. l. 5. 6. & 7. C. h. t.*

(*c*) *V. l. 8. C. h. t.* nam de fraudulenta matris intentione legem hanc intelligi & poſſe, & debere, non refragor.

genioli noſtri tenuitate remouendis, certe eleuandis non alienam omnino ab hoc loco operam me poſuiſſe puto; accedimus ad alteram cauſam, ex qua rei per donationem in alterum collatae reuocationem leges indulgere, me obſeruare memini. Eſt illa nempe vehementer ingrati aduerſus donantem animi teſtificatio. Breuiori hic mihi eſſe licet; quin nominaſſe ſufficit, cum leges in promtu ſint, quae argumentum hoc extra omnem controuerſiam dubitationemque ponant, atque intercedant, quo minus hic quoque habeant, de quo inter ſe diſcepent interpretes. Et videtur haec res ita comparata eſſe, vt, etiamſi leges ciuiles nihil de illa commemorarent, humani tamen ingenii rationes, & communis ille boni & aequi ſenſus, quem ipſa natura menti noſtrae impreſſit, nos admonerent, vix mitiorem luere poenam poſſe eiusmodi homines maxime illiberales atque ieiunos, quam beneficii ereptionem, quo ſe adeo indignos praeſtant. Sed cum diuerſimode declarari ingratus animus, adeoque dubitari poſſit, vtrum ſimpliciter & in vniuerſum huic ingratorum hominum coercitioni locus relinquendus ſit; bene actum nobiscum eſt, quod leges ciuiles certum modum ponant, & illas ingratitudinis ſpecies nominatim definiant, propter quas retractandi donationem facultas concedatur. Expreſſae illae

ſunt

ſunt *l. fin. C. de Reuoc. Donat.*, quas huc referre non minus inutile puto, quam breuitatis meae non eſt, praeter cauſas laudata lege memoratas num aliae adhuc admitti debeant, diſquirere.

XI.
TRANSGRESSIO AD IPSVM DISSERTATIONIS ARGVMENTVM. SERIES DISPVTATIONIS.

Progrediendum potius mihi eſt ad ipſum illud, in quo potiſſimum qualemcunque operam meam collocare apud me conſtitui, & quod diſſertationis noſtrae titulus praefert, argumentum; vbi ita me inſtituam, vt evincere primum conaturus ſim, donationis ob liberorum ſuperuentum reuocationem merum Doctorum figmentum eſſe, inque legibus nihil eius inueniri, vnde vel probari haec ſententia vel exornari poſſit; deinde alia quaedam argumenta allaturus, quae conferre non nihil ad infirmandam hanc opinionem poterunt.

XII.
EX LEGE VIII. C. DE REV. DON. DEPROMTA DOCTORVM OPINIO. HVIVS AVCTORITAS.

Ex *l. 8. C. de Reuoc. Donat.* ad quam integros libros commentarios eiusque magnitudinis conſcripſerunt

Digitized by Google

runt non TIRAQVELLVS tantum, ſed & RIPA itemque MOLINAEVS, vt non legem aliquam, ſed totos ex corpore iuris civilis libros illuſtratos ab iis eſſe primo intuitu credas, ex hac igitur lege ob id celebratiſſima hauſerunt hanc ſuam Doctores opinionem, eaque fundari iſtam doctrinam ea cum fiducia ſibi perſuaſere, vt leuiori forte negotio ſuam Herculi clauam extorquere potuiſſes, quam quidem hanc ex illorum mente, in qua altas adeo radices egit, opinionem euellere. unde illud quoque neceſſario fluxit incommodi, vt, cum tantum non omnes interpretes, quadam veluti contagione infecti, illam doctrinam adoptarent, & tanquam rem certiſſimam, in quam nulla cadat dubitatio, propinarent aliis, vt inquam in ipſa iudicia penetraret, & in ipſis rerum actibus conſtans illius ratio haberetur; quin Legum quarundam prouincialium partem conſtitueret, iisque adeo veluti conſecraretur. (*a*)

XIII.

IACO. GOTHOFREDI ENCOMIVM. DE NOSTRO CONATV IVDICIVM.

Huic me errori, per illa praeiudicia adeo forti, opponere, nunquam paſſurus fuerat quem natura mihi

(*a*) v. e. g. *Ius Prouinc. Würtenbergic. P. II. t. 18. §. fin.*

Digitized by Google

hi tribuit pudor, niſi fortiter aggreſſus illum iam eſſet vir (*a*) maximae non apud me tantum, quod parum vel

(*a*) Nempe IACO. GOTHOFREDVS, quem ignorant, qui non admirantur, & quem magnum mihi lumen praetuliſſe, diffiteri, mei pudoris non eſt, in aeterno *ad Cod. Theodoſia. Comment. VIII, 13. T. II. p. 616. ſqq. edit. antiq.* Habita quoque ſub praeſidio IO. BALTHASARIS WERNHERI Diſſ. eſt a DANIELE HOEFERO, cui indicem fecit: *modum donationes ob agnationem liberorum ex lege 8. C. de Reuoc. Donat. retractandi, ad ſolas largitiones patroni in libertum collatas pertinere. Vitemb. 1724.* Sed potuiſſe ab HOEFERO GOTHOFREDI nomen ingrato ſilentio diſſimulari, ex cuius tamen laudato Comm. haud minimam praeſidiorum ſuorum partem hauſit, vehementer miror. Ipſe vero WERNHERVS communem ſententiam tuetur in *Obſeruat. Forens. Vol. VI. obſ. 371. p. 659. & Vol. VII.* noua ſupplementa complectente *p. 783.* & vtroque loco praeiudicia ſimul affert ordinis ICtorum Wittebergens. Obiter quoque ad hanc quaeſtionem delati noſtram ſibi ſententiam probari declararunt VLRI. HVBERVS *ad Inſtit. de Donat.* EVER. OTTO *ad §. 2. I. eod.* itemque B. HEINECCIVS *in Digeſtis ad Tit. de Donat. §. 131.* A noſtris porro ſtant partibus HVGO DONELLVS *in Comm. ad Cod. ad h. l.* FRANC. CONNANVS *in Comm. Iur. Ciuil. V, 10, 3.* ANTO. FABER *Coniectur. Iur. Civ. VII, 14, & 15.* nec non IO. CORASIVS *in Miſcellan. Iur. Civ. VII, 30.* Ab iis vero nominandis, qui communi ſe addicunt ſen-

Digitized by Google

vel nihil ad illius iuſtiſſimam laudem conferret, ſed eo maioris inter ICtos, quo quis horum eſt vel doctior vel humanior, auctoritatis, cuius ego veſtigiis inſiſtens non puto, me temeritatis cuiusdam labem contracturum, aut huius adeo criminationem metuendam mihi eſſe. Poſſe autem tum noua laudatiſſimae viri immortalis induſtriae adiici, tum luculentius exornari ea, quae a ſummo illius ingenio profecta primum ſunt, vel inde colligent ſcientes & aequi rerum exiſtimatores, quod adeo non contigit GOTHOFREDO, ſuam omnibus iuris peritis opinionem probare, ut potius maior poſt illum ICtorum pars communi ſententiae adhaerere, quam quidem illi ſe adiungere, maluerit. Hoc ideo monere viſum, non acſi adeo arroganter atque ambitioſe de qualicunque hoc conatu meo iudicem, ut me GOTHOFREDIANAM opinionem tanquam legem aliquam perlaturum exiſtimem, ſed ne mihi forte a quibusdam obiiciatur, quibus tanti non eſt, utriusque operam conferre inter ſe, me actum egiſſe, &

ſententiae, tum quia integer omnium fere interpretum catalogus concinnandus eſſet, tum ne in vanae cuiusdam oſtentationis ſuſpicionem incurram, lubens mihi tempero.

Digitized by Google

& laborem ſuſcepiſſe plane inutilem atque ſuperuacaneum.

XIIII.

ADDVCITVR L. VIII. C. DE REV. DON. DE QVO LOQVATVR OSTENDITVR.

Operae itaque pretium eſt, ipſam hanc legem *VIII. C. de Rev. Don.* tanquam arcem, quam tutiſſimum ſibi perfugium praebere Doctores exiſtimant, omnium, ſi qui qualicunque diſſertationi noſtrae lectores contingent, oculis ipſo hoc loco exponere. Sunt autem illius verba haec:

IMPP. CONSTANTINVS ET CONSTANTIVS AA. AD ORPHITVM P. V. (*a*)

SI VNQVAM LIBERTIS PATRONVS FILIOS NON HABENS BONA OMNIA VEL PARTEM ALIQVAM FACVLTATVM FVERIT DONATIONE LARGITVS ET POSTEA SVSCEPERIT LIBEROS TOTVM QVICQVID LARGITVS FVERAT REVERTATVR IN EIVSDEM DONATORIS ARBITRIO AC DITIONE MANSVRVM.

Loqui

(*a*) Hanc legis inſcriptionem ideo non negligendam putaui, quia GOTHOFREDVS ab illa, cum directa ſit ad Praefectum Vrbi, ad quem ſcilicet magiſtratum ſpeciatim pertinebat con-

Digitized by Google

Loqui legem hanc de donationibus a patrono in libertum collatis cuiuis in oculos incurrit. Sub nomine

controverſiarum patronos inter atque libertos exortarum cognitio, argumentum deſumit contra communem ſententiam l. c., quod repetit HOEFERVS in laudata Diſſertatione ſua, non nominato tamen GOTHOFREDO *c. II. §. 23. p. 63. ſq.* Sed quam vim illud habeat, equidem non video. Intelligendam eſſe *l. 8.* de patrono atque liberto, inde quidem colligi poteſt; ſed ad hoc probandum non opus erit, ad legis inſcriptionem recurrere, ipſa legis verba illud manifeſte declarant. Sed dices: inde apparere, huius generis caſum aliquem, hoc eſt liberos patrono poſt donationem agnatos elicuiſſe legem *8.*, cum omnes fere, quas *Codex Iuſtinianeus* complectitur, conſtitutiones reſcripta ſint Imperatorum, ad controuerſias dirimendas, de quibus relatum ad illos fuerat, pertinentia. Neque habeo quod hic reprehendam. ſcio potius, hoc eſſe arcanum quoddam, infinitis difficultatibus feliciter ſe expediendi, & plurimas codicis leges, de quarum interpretatione alias deſperes, mira luce perfundendi, ſi hac cogitatione, ſed ſobria illa & ab immoderata quadam infarciendi quicquid in mentem venit libidine longiſſime remota, ad illas accedas, non potuiſſe non in huiusmodi reſcriptis, attemperatis nimirum facto propoſito, cuius accurata enarratio expectanda ab Imp. non erat, plurima praetermitti tanquam ſuperflua, & ex facti deſcriptione iam ſatis cognita, quae ſi non mente addas, de in-

mine autem patroni atque liberti omnes alios homines, quos extraneos illorum reſpectu vocant, & qui nullo tali vinculo deuincti ſibi ſunt, intelligi debere, ne inter ipſos quidem acerrimos communis ſententiae defenſores eſt, qui adeo ſe improuide ad praecedentium auctoritatem adiunxerit, vt aſſerere illud poſſet. Quid itaque, dices, haec lex ad nos? cuius apud nos vtilitatis, qui a Romana illa libertorum ratione omni tempore abhorruimus? ſed extendi illam debere atque proferri ad quoscunque alios homines, neque anguſtis illis cancellis circumſcribendam eſſe, clamant interpretes, ita vt nominatim quidem patrono reuocationem indulgeat, ab hac tamen facultate alios neutiquam

infinitis numero Codicis legibus fruſtra laboraveris. Haec itaque ratio, vt e diuerticulo in viam redeam, talem ſpeciem legi 8. occaſionem dediſſe, per ſe certa eſſe poteſt. Sed nonne hoc idem ex ipſis legis verbis intelligi atque deduci poteſt? nonne regerent aduerſarii, nos ipſos illorum manibus arma concredere, quibus contra nos pugnent, & hanc ipſam rationem eſſe, quae ſuadeat, codicis leges de certa tantum aliqua ſpecie loquentes, de omnibus reliquis, modo par adſit ratio, intelligendas eſſe? Si itaque non aliunde rationis diuerſitas oſtendi poterit, abſtinere eo argumento malim, quam quidem illud ad partes meas vocare.

Digitized by Google

quam excludat. Et hoc ipſum eſt, in quo excutiendo praeſens opera mea verſabitur.

XV.

DE INTERPRETATIONE EXTENSIVA DISPVTATVR. NVMQVE POSSIT AD L. VIII. ACCOMMODARI?

Hoc interpretationis genus, quod extenſiuum vocant, in uniuerſum in dubitationem adducere velle, hominis eſſet, qui ne primis quidem, quod aiunt, labris legitimam ſcientiam deguſtauit, & qui ne inter dupondios quidem locum mereretur. Omnem itaque illius uſum negare ſimpliciter velle, ne in mentem mihi quidem venit, & ab iis tantum fieri hoc poſſe puto, qui paradoxis delectantur, iisque ingenii laudem aucupari contendunt. Sed hoc tantum mihi volo, primum magna hac in re, ne legislatoris perſonam induamus, cautione opus eſſe, deinde ſiniſtre & confidentius quam verius hanc rationem ad laudatam legem accommodari. Extendi legem tunc demum ad alias ſpecies poſſe, ibi non commemoratas, ſi in has exacte illius ratio conueniat, declarat axioma illud: *ubi eadem eſt legis ratio, ibi eadem legis diſpoſitio*, uti peruulgatiſſimum, ita veriſſimum. In hoc itaque totius

Digitized by Google

tius quaeſtionis cardo vertitur, num ratio legis octavae, ex qua patrono liberalitatis ſuae retractationem indulget, in aliis quoque hominibus locum habeat? Ad hanc vero quaeſtionem facile reſpondere is poterit, qui nexum, quo patrono libertus deuinciebatur, cognitum habet, (*a*) & illius in hunc iura, ex quibus apparet, manſiſſe adhuc quaedam prioris ſeruitutis veſtigia, conferre cum iis velit, quae alii homines inuicem ſibi debent.

XVI.

PATRONORVM IN LIBERTOS IVRA.

Inhaereamus aliquantum huic argumento, & praecipua quaedam *Iuris Patronatus* (*b*) ſtrictim attin-

(*a*) Hoc quoque exemplo, ſunt autem plurima alia, conſtat, quam mirifice non ornet tantum, ſed iuuet etiam Iurisprudentiam noſtram antiquitatum, quarum tanta ſuauitas eſt, quanta utilitas, earumque rerum cognitio, quae omni, uti nunc res ſunt, utilitate carere primo obtutu videntur.

(*b*) Cui iura inter, quibus conſtabat Romanae Ciuitatis dignitas, locum aſſignandum eſſe, haud obſcure colligi poteſt ex PLINII *Epiſt. X, 6, 2.* idem obſeruante ad *h. l.* Viro Summo & plane Incomparabili IO. MATTHIA GESNERO

Digitized by Google

tingamus; vnde ſatis ſuperque, puto, conſtabit, quam erronee ad alios applicentur, quae patrono leges tribuunt. Primum cogita, illud ſuo libertum patrono debere, quod, ſi non vitae aequiparatur, proximo certe poſt illam loco ea inter collocandum eſt, quae cariſſima hominibus eſſe ſolent. Tali tantoque libertum beneficio affectum, nonne putes, ſi grata (*b*) illud mente proſequitur, ſponte neque a lege admonitum reſtituturum patrono, quicquid ab illo praeter inaeſtimabile libertatis beneficium accepit, ſiquidem hic re donata ipſe indigere quacunque ratione incipit. Tanto minus mirari ſubit, a legibus illi hoc iniungi, quae nempe eundem non ſolum ad ſummum patrono honorem haben-

RO, Praeceptore, (ad meam laudem dico,) quem quanta ob ſingularia de me merita pietate & colam & debeam, animi erumpere geſtientis affectum reprimere non poſſum, quin publice profitear.

(*b*) Poterat autem libertus, certe de recentiori iure, ob ingrati animi labem in priſtinam ſeruitutem tam ipſe retrudi, quam eius filii, idque non a ſolo tantum patrono, ſed ab huius etiam liberis atque heredibus. v. *l. 2. 3. & 4. C. de Libert. & Eor. Liber.* item *l. 12. C. de Oper. Libert.* vt & *l. 3. C. de Bon. Lib.* Acerbiſſimae huius poenae veluti hiſtoriam texit M. AVGVSTINVS CAMPIANVS in egregio opere *de Officio & Poteſtate*

habendum, (c) ad obſequia (d) certasque illi operas (e) praeſtandas, itemque ad dona muneraque in eum conferenda, (f) ſed ad illum alimentandum quoque, ad inopiam redactum, (g) compellunt.

XVII.

teſtate Magiſtratuum Roma. p. 162. ſqq. eferri quoque meretur magnus CVIACIVS *Obſeruat. X, 33.*

(c) Ex quo inter alia fluxit primum, ut patronus non niſi venia prius impetrata vocari in ius ab liberto poſſet, *l. 4. §. 1. & l. ult. D. de in Ius. Voc.* deinde ut omni actione famoſa aduerſus patronum mouenda penitus abſtinendum liberto fuerit. *l. 2. & 5. §. 1. de Obſeq. Par. & Patr. Praeſtand.*

(d) Qua de re integer in *D.* titulus extat, *de Obſequiis Parentibus & Patronis Praeſtandis* indicem praeferens.

(e) V. totos *de Operis Libertor.* titulos tum in *D.* tum in *C.*

(f) V. *l. 7. §. 3. D. de Oper. Libert.* Poſtulare patronus munera illa poterat etiam vxoris nomine. v. *l. 44. §. 1. D. de Liberal. Cauſ.* & LEYSERVM *in Medit. ad π. ſpecim. 434. n. 26.*

(g) V. *l. 5. §. 18. ſqq. D. de Agn. & Al. Lib.* item *l. 1. §. 2. D. de Offic. Praef. Vrb.* nec non *l. 1. C. de Oper. Lib.* Filiis etiam patroni alimenta deberi declarat cum laudata *l. 5. §. 20. de Agn. Lib.* tum *l. 73. D. de Acq. vel Omitt. Hered.* Quod equidem non miror, cum conſtet, patronorum liberos nouos libertis certe impuberibus patronos fuiſſe, in eosque a patribus patronatus iura translata eſſe, vnde & ipſi ad legitimam libertorum tutelam vocabantur. v. *§. vn. I. h. t.* itemque

§. vn

XVII.

CONTINVATIO HVIVS ARGVMENTI.

Neque haec ſufficere ad remunerandum tam grande, quod in libertos conferebatur, beneficium, Romanis viſa ſunt. Praeter ea enim, quae allata a me ſunt, dimidia etiam bonorum pars patrono relinquenda a liberto per Praetoris Edictum erat, (*a*) quod etiam huius partis bonorum poſſeſſionem dabat, ſi relinquere illam libertus neglexiſſet. (*b*) qua quidem re multo pinguiorem patroni conditionem Praetor reddidit,

§. vn. de Fiduc. Tutel. Haec obſeruatio nouum ſimul neque contemnendum illud argumentum ſuppeditat, ſingulares plane rationes interceſſiſſe inter patronum donantem & libertum donatarium, quae in nullos alios homines cadant, & quae prohibeant, quo minus ad alios trahi poſſint, quae de libertis vnice cauta ſunt. Apparet enim inde, etiam inter ipſos patroni liberos atque libertos illum adfuiſſe nexum, qui primum facile ex illorum etiam parte reuocandae donationi occaſionem praebere potuerit, deinde ab aliis donantium liberis longiſſime abſit.

(*a*) A quo ſucceſſionis emolumento deriuatur a IVSTINIANO legitima patronorum tutela *§. un. I. h. t.*

(*b*) V. *§. 1. I. de Succeſſ. Libert.* item *l. 6. D. de Bon. Poſſ.* & VLPIANI *Fragm. tit. vlt. §. 1. & 3.*

Digitized by Google

didit, cum antea ex Legibus XII. Tabular. unice, ſi inteſtatus, nec ullum ſuum heredem relinquens, libertus deceſſiſſet, ad ſucceſſionem patronus vocaretur. (*c*)

XVIII.

FACILIOR IN VNIVERSVM REVOCATIO DONATIONIS IN LIBERTVM COLLATAE QVAM IN EXTRANEVM.

Memorabile illud quoque eſt, & propius ad inſtitutum noſtrum accedit, quod in vniuerſum multo facilius leuioribusque de cauſis donationes in libertum collatae reuocari a patrono poterant, quam quae in extranei fauorem factae, illaeque adeo minus firmis fundamentis innixae fuerint. Fidem facit *l. 1. C. de Reu. Don.* quae ſimpliciter ob ingratitudinem, nullo discrimine adiecto, nominatimque ob neglecta ſola obſequia, retractandae donationis facultatem patrono concedit. Ex qua lege illud adhuc ſingulare & e re mea

(*c*) V. *pr. I. de Succ. Lib.* Quid vero per legem *Papiam Poppaeam* de patronorum ſucceſſione immutatum ſit, luculentiſſime expoſuit B. HEINECCIVS in egregio, quo cenſeri poteſt, ad hanc legem *Comment. II, 22.*

Digitized by Google

mea obſeruo, potuiſſe patronum non ſolum illud ipſum, quod dedit, repetere, ſed ea quoque, quae libertorum nomine, ſua tamen pecunia atque beneficio comparata ſunt, vindicare.

XVIIII.

SINGVLARIS NEXVS PATRONVM INTER ATQVE LIBERTVM. COLLECTIO.

Iamiud ipſam rem veniamus, cui hanc digreſſionem dedimus. Non puto, quemquam futurum, cuius non oculos feriat, ſi conſiderare ea velit, quae adduxi, ſingulare illud patronum inter atque libertum vinculum, quod vti illos ſic a reliquis hominibus discernit, vt parentis loco patronus liberto ſit, cui vitam nempe ciuilem nomenque dedit, ita iurium quoque diverſitatem introducit, quae inter reuocandae etiam ob ſuſceptos poſtea liberos donationis licentiam locum tenuiſſe, nemini iam mirum videri poteſt. Ab hoc igitur fonte unice cum derivanda ſit legis *VIII. C. de Rev. Don.* diſpoſitio, neque illius ratio, quod volunt Doctores, in veriſimili pietatis coniectura, quae remouiſſet patronum a donandi libidine, ſi de liberis ſuſcipiendis cogitaſſet, quaerenda; prono inde, quod aiunt, alveo fluit, non poſſe ex indubitatis iuris principiis laudatam ſaepius legem

 ad

Digitized by Google

legem ad alios homines extendi, niſi qui ita, vti patrono olim libertus, coniuncti ſibi ſint; quod hominum genus ſi tu mihi non mente finxeris, ſed oculis inter nos oſtenderis, vel ſi demonſtrare poteris, omnia iſta in nos conuenire, quae de ſumma illa patronum inter atque libertum neceſſitudine in medium protuli; ſi itaque horum vnum alterumque feliciter tibi ſucceſſerit, tunc victas ego manus dabo, & omnem protinus ſollicitandi communem ſententiam cogitationem abiiciam.

XX.

TRANSGRESSIO AD ALTERAM PARTEM.

Haec puto ſufficere poſſe ad priorem inſtituti mei partem illuſtrandam, quae nempe demonſtrare debebat, omni legum praeſidio communem interpretum opinionem deſtitui. Venio ad alteram ſectionem, alia quaedam argumenta complexuram, ad labefactandam iſtam ſententiam pertinentia.

XXI.

IN TOTO CORPORE IVRIS CIVILIS NIHIL HAC DE RE IN VNIVERSVM CAVTVM.

Primum illud non iniuſtam alicui hac de re dubitationem iniicere debet, quod in toto, quam late pa-

Digitized by Google

patet, Iure Ciuili nullibi quicquam de hoc reuocandae donationis genere cautum reperiatur. Nam praeter commemoratam *l. 8. C. de Rev. Don.* de qua ſatis iam diſputatum eſt, nihil habent, ad quod confugiant interpretes, & quo iuuari ſuam opinionem ipſi perhibeant. Num tu vero putes, ſi omnibus ſimpliciter hominibus lex iſta ſubueniret, alto hanc rem ſilentio praetermitti potuiſſe iis locis, quibus ex inſtituto & dedita opera de cauſis revocandarum donationum agitur. Hoc ſilentium eo me vehementius ferit, quo magis liberos curae cordique ſibi fuiſſe, illorum priuilegia cum confirmando tum amplificando, nulla non occaſione IVSTINIANVS Imp. oſtendit. Vtrum itaque liceat interpreti, veluti lacinias quasdam legibus annectendo, novas iis addere reuocandi cauſas, alii viderint.

XXII.

COMMVNIS OPINIO ABHORRET AB IVRIS RATIONIBVS. LEX VIII. STRICTISSIME INTERPRETANDA EST.

Tanto minus temeritatis cuiusdam notam effugiunt interpretes, quo magis illorum opinio a certiſſimis iuris principiis abhorret. Cum enim donationes ita

Digitized by Google

ita comparatae ſunt, vt perpetuam obligationem producant, neque earum retractatio a donantis arbitrio dependeat, ſed vt ſua natura ſint irreuocabiles; cum deinde omnes conuentiones, duorum conſenſu perfectae, ab vno retractari atque diſſolui neutiquam posſint; & denique donationes ſtricti iuris negotiis accenſeantur, (*a*) neque adeo ex praeſumta ſolius donantis pietate explicandae illae ſint, ſed eius tantum ratio haberi debeat, quod inter donantem & donatarium actum eſſe atque conuentum apparet: haec igitur ſi mente reuoluas, nihil magis alienum ab iuris rationibus eſſe, quam ex caſu ſuperueniente, a quo alterius culpa plane abeſt, retractari ex ſolo donantis arbitrio donationem poſſe ſemel legitime factam, dubitare non poteris. Quae cum ita ſint, iuſtiſſima inde collectione inferre licet, primum, absque perſpicua lege & in vniuerſum concepta, non certam tantum aliquam ſpeciem attingente, nihil decerni hac de re temere poſſe, quae vti ſingulare aliquid habet, ita ſola interpretum auctoritate expediri nequit, ſed legibus confi-

(*a*) V. *l. 22. D. de Donat. &* VOETIVM *ad π. h. t. n. 26.* itemque PEREZIVM *in Cod. eod. n. 20.*

confici debet; deinde hac quoque de cauſa nullum legis VIII. prolationi locum dari poſſe. Cum enim tum ipſa rei natura nobis ſuggerat, quae ab iuris ratione communibusque illius regulis recedunt, ſtrictiſſime illa interpretanda eſſe, tum legum id auctoritate comprobetur; (*b*) lucidiſſime puto inde apparet, plus iuſto in extendenda nominata ſaepius lege interpretes ſibi ſumſiſſe. (*c*)

XXIII.

ARGVMENTVM A DONATORE AD INOPIAM REDACTO DESVMTVM.

Vltimum quod ad ordinem locum occupat, ſed primum forte quoad grauitatem repoſcit huius ſectionis

argu-

(*b*) *V. l. 14. D. de Legib.* & *l. 141. D. de R. I.* (vna autem eademque lex eſt.)

(*c*) Ab ipſis Romanis non prolatam vltra illius verba fuiſſe *l. 8.* probari etiam poteſt AVGVSTINI, cuius nempe aetate vetuſtior eſt laudata lex, loco, (non enim reiici poteſt teſtimonium *Epiſcopi*, qui habet audientiam epiſcopalem, de eo, quod ſit recepti iuris;) quem GOTHOFREDVS adduxit ad *Cod. Theod. VIII, 13.* & qui relatus etiam eſt in *cap. vlt. C. 17. qu. 4.*

Digitized by Google

argumentum; quod non ideo ad hunc locum relegavi, acſi de eo diffidam, vel numeri tantum adaugendi vim illi ineſſe putem, ſed vt, ſi qui forte ſint, quorum animis tam alte infixa haeret communis, quam infirmare qualicunque hoc labore meo annitor, interpretum opinio, vt quae collecta adhuc, qua fieri potuit diligenti breuitate, a me ſunt, ea eradicare illam nondum potuerint, vt hos igitur, huius argumenti vi ſe ſubactos tandem ſentientes, vel invitos & reluctantes in meas partes retraham. Cum enim ab ipſa iuris analogia, ad quam potiſſimum recurrere in huiusmodi dubiis atque ambiguis quaeſtionibus ita ſolemus, vt litis euentum inde dependere hoc ipſo declaremus, deſumtum illud ſit, non poteſt non, omni dubitationi aditu praecluſo, ipſam rem, qua de agitur, penitus expedire atque conficere. Donatorem ad inopiam vel culpa ſua, vel infelici caſu quodam redactum, nulla revocandi res olim a ſe alteri donatas, vtut iis vel maxime ipſe iam indigeat, facultate gaudere, extra controverſiam poſitum eſt. (*a*) At putes, certe rei dona-

(*a*) Si auctoritatem tamen deſideras, euolue inter alios ZOESIVM *ad* π. *de Donat. n.* 91. & 126. PEREZIVM *in Codicem*

natae traditione nondum ſubſecuta, donantem, quem res anguſtae domi premere incipiunt, omni per inopinatam illam rerum ſuarum conuerſionem perturbationemque traditionis neceſſitate penitus liberatum iri. Verum enim vero ne hoc illi quidem leges indulgent, pactorum vim caſu aliquo ſuperueniente neutiquam debilitari, hoc ipſo demonſtrantes, vtut ſummae ſe aequitatis ſpecie res haec commendet; ſed ſolum, quod vocant, competentiae beneficium quidem, ſed lacrymabile illud, donatori tribuunt. (*b*) Cum his communem de reuocandis ob liberos poſtea ſuſceptos donationibus Doctorum opinionem conciliare, mihi quidem difficile videtur, niſi forte magis liberis egentibus, quam

dicem de Reu. Don. n. 8. & 19. VOETIVM *ad w. de Don. n. 26. &* STRYCKIVM *in Cautel. Contract. III, 9, 8.* qui ideo hanc donantibus cautionem ſuggerit, vt ſpeciatim ſibi, ſi quando egeſtate laboraturi ſint, alimentorum ex rebus donatis praeſtationem reſeruent.

(*b*) *V. l. 12. D. de Don. l. 28. D. de Reg. Iur. l. 19. §. 1. D. de Re Iud. l. 30. eod.* item STRYCKIVM *l. c.* & WERNHERI *Diſſ. de Benefic. Competent C. 2. theſ. 3. §. 6.* quam partem deinde haud poenitendam eſſe iuſſit nouorum *Obſeruationum ſuarum Forenſium Supplementorum*, ſeu *voluminis illarum VII. a pag. inde 706.*

Digitized by Google

quam patri eſurienti ſubueniendum eſſe putes. Sed hoc tum per ſe nemini facile in mentem venerit, tum inde refutatur, quod, licet cum liberis, factae donationis tempore iam natis, pater deinde egeat, nihilo ſecius firmum maneat ſtabileque donationis pactum. An tu vero putes, adeo vehementi in liberos amore patrem ferri poſſe, vt ipſe, ſeruanda illorum vita, ſi res ita ferret, mortem ob ſummam rerum omnium inopiam ſubire non refugiat? nonne, quod veriſſime vſurpare ſolent, amor a ſe ipſo incipit? Et num dubites, (qua praeſumta a donando abſtinentia, ſi liberorum nanciſcendorum cogitatio donantis animum ſubiiſſet, colorem ſuae opinioni, in qua refellenda operam meam colloco, inducunt interpretes) num igitur dubites, talem hominem, ſi cogitaſſet, aut praecipere aliquo modo cogitatione potuiſſet illam rerum ſuarum mutationem, nihil quicquam ad transferendam in alterum aliquam bonorum partem, adducere temere potuiſſe? Si itaque clauſula tacita rebus ſic ſtantibus in donationibus ab homine factis, cui liberi poſtea contingunt, attendenda eſt; multo magis vim illa ſuam exerere tunc deberet, ſi quis adeo magnam poſt donationes ſuas bonorum iacturam faciat, vt haec vitae amplius

miſere

miſere ſuſtentandae vix ſufficiant. Neque tamen haec omnia efficiunt, vt reuocandi res aliis donatas facultate is polleat, quem inopinata dein egeſtas premere incipit.

XXIIII.

DOCTORVM ARGVMENTATIO EXCVTITVR.

Coronidis loco pauca adhuc quaedam addere lubet de ratione illa, qua vehementer iuuari opinionem ſuam Doctores exiſtimant, licet iam ex §o. antecedenti deſumi poſſint, quae illi obiicias. Dicunt nimirum, ab omni veri ſpecie abhorrere, aliquem inſigni bonorum parte priuaturum ſe fuiſſe, ſi cogitaſſet, liberos ſe adhuc ſuſcepturum. Sed moneo primum, non in vniuerſum hoc valere. nam poſſe aliquem de liberis tollendis cogitare, & nihilo ſecius liberalem ſe amico cum facultatum ſuarum detrimento praebere, nihil repugnantiae habere mihi quidem videtur. Ad haec ſi hominem ponas, hinc vegetum & in aetatis flore conſtitutum, hinc vitae ſociam habentem non minus robuſtam atque iuvenculam, an probabile eſt, cum quid rerum ſuarum in amicum conferret, non obuerſatam illius menti eſſe liberorum cogitationem? Deinde ſi quis illam excuſandi rationem inuertens re-

Digitized by Google

gerat: at cogitare donantem debuiſſe futuros liberos, tanquam rem, qua nihil frequentius in humana vita videmus, & ad quam ſperandam vehementer alias inclinare ſolent homines; huic me ego quidem contumacius non opponerem. Et eſt plerumque, vt mitiſſime loquar, imprudentium aſylum, quos neſcio an iura admodum adiuuent, ex illorumque ore fluere ſolet vox illa: *non cogitaram.* Vt itaque omnia in vnum colligam, hac in re ſic potius rationes ſubducendae mihi videntur. aut cogitauit liberos donans, aut non. Si cogitauit, & tamen a donando ſe non abſtinuit, neutiquam praeſumi poteſt reuocandi voluntas. Si non cogitauit, cogitare certe debuiſſet, tanquam vir prudens; neque de iniuria ſibi illata queri poterit, ſi ad hanc improuidae mentis coercitionem illum condemnes, quae in alterum alias, in quem ſcilicet liberalitas fuit collata, nulla ſua culpa caderet.

Latius haec omnia perſequi in animo habueram; ſed temporis, quibus me imminens diſceſſus hinc mei dies includit, anguſtiae me manum de tabula tollere iubent.

TANTVM.

PRAE-

Digitized by Google

PRAENOBILISSIME CLARISSIMEQVE
SCHELHORNI
IVRIVM CANDIDATE DIGNISSIME

Eas ingenii dotes, eam morum probitatem, eam bonarum litterarum copiam, eam artium, quae legitima ſtudia ſolent ornare, cognitionem ad nos ante annos fere quatuor attuliſti, mox eum oſtendiſti vitae tenorem, eam tenuiſti diſcendi conſtantiam, vt mihi facili diuinatione licuerit optatiſſimum hunc curriculi academici finem animo praecipere, ad quem Te nunc perueniſſe laetus gratulabundusque video. Vnum, vt ingenue fatear, non praeuideram, Tuos labores academicos in academicos honores, eosque in arte noſtra ſummos, eſſe exituros, quibus adeo nunc ego magis gaudeo, cum vnanimi Ordinis Iuridici ſuffragio, cui & explicando leges, & ad quaeſita reſpondendo, Te plurimum probaras, decretis, tum, poſt theſes doctiſſimas, a Te vno ſcriptas, a Te ſolo, me maxime auctore, defenſas, meritisſimo Tuo conferendis. Hoc facto feſtinus abibis Viennam, quam vrbem dum nomino, multa & maxima dico. Veneraberis in ea praeſentem MAXIMI CAESARIS Maieſtatem. Intueberis praeſens AVGVSTAM, quae durisſimis regnorum initiis ope palam diuina ſuperatis, hoc breui tempore eſt conſecuta, vt generi humano ſit admirationi & in deliciis, non meliori magis orbi, quam hoſtibus, niſi quod illum ad ſui venerationem pronum ducat, hos inuitos quoque & reluctantes trahat. Contemplaberis Senatum AVGVSTORVM non vnum, aliosque Viros Principes, in quibus id, quod in arte regnandi eſt ſummum, rerum grauisſimarum experien-

rientiam maximam, prudentiam incomparabilem, legum ad maxime arduas quaeſtiones applicandarum incredibilem peritiam facilitatemque, reliqua in excelſo poſita, haud difficulter obſeruabis. Sed & Bibliothecam Auguſtam adibis, illud aeternum ſuſcepti a Sacratisſima Domu litterarum patrocinii monumentum, DIVI maxime CAROLI VI. vt ex infinitis laudibus hanc vnam decerpam, Litteratisſimi Principis, liberalitate in immenſum auctam excultamque: vbi inter medias gazas beatus incedens, ut mei, eiusmodi theſauros, ut noſti, pro modulo anhelantis, aliquando meminiſſe velis, rogo. I, MI SCHELHORNI, facili pede, & propitio eo, qui res humanas moderatur unus, i, quo Tua Te vocat virtus, & in iſta luce umbrae noſtrae ſcholaſticae comem ſerua memoriam. Dabam Gottingae a. d. XXVI. Decembr. A. R. S. MDCCXLVI.

TVVS PRISCA FIDE
ET OBSEQVIO

GEORGIVS CHRISTIANVS
GEBAVERVS IC.

M. BRITANN. REGI AB AVLAE
CONSILIIS, ANTECESSORVM
GEORGIAE AVGVSTAE PRIMVS,
ORDINIS SVI SENIOR.

Quibus

Digitized by Google

Quibus dignum te fecit excultum iuſta Iuris ſcientia ingenium, dat tibi nunc Iuſtinianus honores, NOBILISSIME CONSVLTISSIMEQVE SCHELHORNI. Facile id praeſagiebam, cum ſub oculis meis (tres enim annos & amplius eadem in domo mecum habitaſti,) decurreres curriculum Academicum. Cernebam ſingularem ingenii tui vim, ſummumque eruditionis amorem, & acerrimum in literis proficiendi ſtudium. Alterum agnoſcebam Themiſtoclem. Vti, enim hunc iuuenem militaria Miltiadis tropaea ad aemulationem accenderunt, ſic te tropaea Patrui tui, Polyhiſtoris Memmingenſis, literaria. Totus itaque eras in literis, & extra muſeum ſiue tuum ſiue praeceptorum tuorum nulla tibi erat voluptas. Quare conuerſationis cum aliis parciſsimus ſolitudinem amabas literariam, & mortuis illis, ſed ingenio adhuc viuentibus ſemperque victuris viris die noctuque asſidebas iucundisſime. Libros, inquam, ardenter amabas lectitabasque praeſtantisſimos, plures ſubinde in muſeum tuum adſciſcens, nec iniuria ob id vocatus a me librorum helluo. Iuris autem ſcientiam cum imbibere ac poſtea profiteri ſtatuiſſes, probe intelligebas, infra mediocritatem te euaſurum eſſe Iurisconſultum, ſi non hiſtoriam Latinam, Graecam, & Germanicam tibi redderes cognitisſimam, Romanas item & Graecas Germanicasque perluſtrares antiquitates, denique Latinam linguam perdiſceres. Attuleras quidem iam huc e patria magnam huius linguae peritiam & more Romano loquendi ſcribendique facultatem: ſed cum & hanc augere, & caetera, quae modo dixi, aſſequi ſtuderes, cupidisſime aſſectatus es earum diſciplinarum, quae tibi curae cordique erant, doctores optimos maximos, nunquam ſane te inficiaturos diſcipulum. Non tamen ego quidem his te nominibus laudaturus forem, niſi ardori literario ſemper iunxiſſes flagrantisſimum honeſtatis probique moris ſtudium. Feciſti vero, quod bono literarum cultore dignum eſt, etiam hac ex parte. Liberali & facie & ſermone & virtute nunquam te non commendaſti tuis tum docto-

ribus,

ribus, tum commilitonibus: ac domeſticos erga ſodales cum te ſemper geſſiſti, vt magis ac magis amandi tui multam, querendi de te nullam, vnquam iis occaſionem praeberes. Ita induſtria duce, virtute comite, eo perueniſti, vt nuper DOCTORIS elogio te dignum iudicaret illuſtre Iuriſconſultorum noſtrorum collegium, teque ſpecimen inaugurale, tua ſolius elaboratum induſtria, tuo ſolius politum ingenio, e publica cathedra propugnare iuberet remoto rectore certaminis. Quam pugnam cum pugnaturum eſſe te ſtrenue feliciterque non ſit mihi dubium, iam nunc tibi gratulor, & fauſtos quosque cum ſcientiae, tum virtutis tuae ſucceſſus tibi imprecor. Abi nunc laetus, quo vocaris, & in omni vita tua fruere ſupremi Numinis beneficiis. Quod quidem certe aſſequeris, ſi perges codicem ſacrum non minori cum voluptate tractare, quam Iuris Codicem. Hunc quippe lectitans praeſtare te poteris hac in vita ſacerdotem iuſtitiae: illum tanquam oraculum ſubinde inſpiciens, contentaque eo praecepta ſtudioſiſſime ſequens, in altera illa vita corona (*) iuſtitiae Chriſtianae coronaberis. Vale, meque tui amantiſſimum amare perge. Scrib. d. XXVII. Dec.

cIↃ IↃ CCXLVI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

(*) 2. *Tim. IV.* 8.

CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, D.

Digitized by Google